



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 5. Piammon. Joannes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

Sæculum IV. ipsum abneget. His duo socii Cassianus,
A. C. 395. & Germanus commoti, tantum non
c. 3. in desperationem agebantur; quod tam
c. 4. 5. &c. longe sibi a professionis suæ perfectione
 abesse viderentur. Inde Abbas Pynufius,
c. 4. in fin. occasionem nactus, de pœnitentia, & me-
 diis pristinos emendandi errores sermo-
 nem instituit. Instanter rogabat, ut in
 suo Monasterio manerent, at celeberrimum
 Scetis desertum videndi desiderium
 eos ibi hærere non sinebat.

§. V.

Piammon. Joannes.

Coll. XVI. 2. c. 1. Ergo Nilum trajiciunt, & Diolcos exi-
Instit. X. c. 36 guam urbem, ad unum ex septem
 fluvii ostiis sitam, devehuntur, ubi ali-
 qua antiqua, & celebrata Monasteria ha-
 bitabantur. Anachoretæ alii viscebantur
 in Insula, cujus unum latus Nilus, aliud
 mare alluebat, & in qua nihil præter ste-
 riles arenas invenire erat; nulla Mona-
 chis aqua nisi Nili, ultra tria milliaria a
 suis Cellis distantis; hinc eis major cu-
 ra de aqua conservanda, quam in aliis
 locis de vino pretiosissimo erat. Præ-
 terea per montes, & arenas vestigia eun-
 tium fallentes, ad Nilum impedita erat
 via. Anachoretarum illorum aliquis,
c. 36. cui nomen Archebius, cum videret,
 quam ardenti desiderio Cassianus, & Ger-
 manus tenerentur, in illa solitudine per-
 manen-

manendi, suam Cellam, ut erat, ad hoc ^{Sæculum IV.}
 vitæ genus instructissimam, eis cessit, A. C. 395.
 commentus, ante eorum adventum lo-
 cum hunc deferere sibi in animo fuisse.
 Postquam aliam cellam non sine maximo
 labore ædificavit, eam simili simplicissi-
 mæ charitatis arte aliis supervenienti-
 bus fratribus sponte reliquit, & novo la-
 bore sibi tertiam construxit. Archebius
 honestissima familia urbis Diolcos origi-
 nem traxerat, jamque puerilibus annis
 in Monasterium, ab urbe quatuor, non
 pluribus milliaribus, dissitum concessit,
 & annis quinquaginta ibi vivens, nun-
 quam in urbem venit, nullam fœminam,
 nequidem matrem, vidit. Verumtamen
 sciens, defuncto Patre Matri ob debitum
 centum aureorum, non solutum, credi-
 tores molestos esse, per integrum annum
 diu noctuque laborans, & Monasterio
 nunquam egrediens, requisitam pecuniæ
 summam lucratus est, & soluto debito,
 in Matris animum quietem reduxit.

In hac solitudine Diolcos Cassianus, *Coll. XVIII*
 & Germanus Abbatem Piammonem a- *c. I.*
 dierunt, tunc inter omnes Anachoretas
 ætate maximum, & eorum Presbyterum.
 Dono miraculorum clarebat, quorum a-
 liqua, ipsis præsentibus, edidit. Adve-
 nientes humanissime excepit, & intelle-
 cta itinerum causa, de tribus generibus
 Monachorum, tunc in Ægypto degen-
 tium,

Sæculum IV. tium, dicere cœpit; nempe de Cœno-
 A. C. 395. bitis in communitate viventibus, de A-

c. 4. nachoretis, qui in Monasterio instructi,
 ad perfectiorem solitudinem transibant,
 & Sarabaitis, hominibus vagis, & Pseu-
 do-Monachis. Ad tempora Apostolo-

Cœnobia. rum refert Cœnobitarum institutionem,
 quod sint vitæ communis Christianorum
 Jerosolymæ reliquiæ. Ex his Anacho-

c. 5. retas ortum duxisse dicit, quos inter o-
 mnium primos numerat S. Paulum, &

c. 6. S. Antonium. Sarabaitæ autem nulla
 regula Duce effrenatæ licentiæ, & ava-
 ritia indulgebant, eorumque numerus

c. 7. admodum excreverat. Cœnobitarum,
 & Anachoretarum numerus in Ægypto
 erat prope æqualis, in aliis Regionibus
 Sarabaitæ prævalebant; Hæc, inquiebat

Piammon: propria experientia didici,
illo tempore, quo Lucius Episcopus Aria-
 Sup. I. XVII *norum sub Valentis Imperio persecutio-*
 §. 36. *nem movit, dum eleemosinas fratribus no-*
stris, in Ponto Armeniæ ad metalla da-

c. 8. *mnatis, deferebam.* Quartum etiam da-
 batur Monachorum genus nempe Eremi-
 tarum, noxiam libertatem sequentium,
 qui se obedientiæ jugo subtrahebant, ut
 sub Anachoretarum nomine soli, & suo
 arbitrio viverent.

Coll. XIX.

c. 1.

Post aliquot dies Cassianus, & Ger-
 manus ad Abbatis Pauli Monasterium se
 contulerunt, plusquam ducentis Mona-
 chis

chis habitatum; & tunc forte ex aliis Sæculum IV.
 quoque Monasteriis innumerabilis mul- A. C. 395.
 titudo convenerat, Abbatis prioris de-
 functi anniversarium diem celebraturi.
 Dum in vasta area duodeni per series
 multas distributi refectiorem exspectant,
 frater juvenis sero nimis cibum intulit,
 cui Abbas Paulus sonantem alapam in-
 flixit; at juvenis non ideo murmurare,
 non vultus colorem mutare, nec quid-
 quam pristinae modestiae amittere visus,
 omnibus presentibus eximium Monasti-
 cae humilitatis & patientiae exemplum
 dedit. Hujus Monasterii Senior erat
 Joannes Venerabilis, humilitate præci-
 puus, cujus virtutis gratia, relicta vita
 Anachoretica, rursus ad Monasterium re-
 dierat. Apud hospites ambos de Status c. 2.
 Anachoretici, & Monastici distinctione,
 de utriusque bonis, & periculis differuit;
 illum vero Monachum perfectissimum es- c. 3. 4. &c.
 se, qui utriusque status virtutes conjun-
 geret, *Sicut me teste, inquit; Abbas*
Moyse, Paphnutius, & ambo Macarii
conjunxerunt; ipsi quidem amore solitu-
dinis satiari non poterant, nec ullam ho-
minum societatem cupiebant; nihilomi-
nus, aliis sponte ad se venientibus, fra-
trum multitudinem, & infirmitates invi-
cta patientia tolerabant, ac si totum vitæ
tempus eorum servitio addixissent. c. 9.